



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An ex homicidio causali, quod ex opere licito secutum est, contrahatur irregularitas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO II.

De homicidio casuali, & de omnino involuntario.

§. I.

An ex homicidio casuali, quod ex opere licito secutum est, contrahatur irregularitas?

Casuale homicidium hic dicitur illud, quod per se quidem & directe in se volutum non est, indirecte tamen, & in sua causa volutum fuit; casus enim, qui præter intentionem operantis contingunt, & ab eo prævisi non sunt, imputantur tamen illi ad culpam, (saltem in foro externo) si ex opere illo per se, & necessario sequantur, vel saltem ut plurimum evenire soleant. Potest autem duplici modo contingere, ut homicidium casuale ad culpam alicui imputetur, si diligentia non adhibeatur sufficiens ad præcavendum illud, & si quis operam rei illicitæ.

Si proinde rei licitæ operam quis dedit, & adhibuit sufficientem diligentiam ad cavendum homicidium, per accidens tamen, & præter intentionem, aut prævisionem hujus, homicidium ex parte tali sequatur, non contrahit ex eo irregularitatem, quia in tali casu nec ob negligentiam aliquam in præcavendo periculo, nec quod operam dederit rei illicitæ, imputari potest ad culpam illi homicidium tale, prout probatur ex c. 9. 13. 14. 15. 16. 22. 23. & 25. h. t. Quod si tamen operam quidem dedit rei licitæ aliquis,

culpam tamen seu negligentiam in amovendo periculo homicidij committat, eo securo, incurrit irregularitatem c. 7. & 8. h. t. quia homicidium illi imputatur, qui periculum, ex quo facile homicidium, & sæpe sequitur, non præcavet.

§. II.

An in dubio commissi homicidii quis censendus sit irregularis, vel non?

IN dubio commissi homicidij, sive in dubio facti, ubi certum jus est de irregularitate statuta, dubium tamen est, utrum hic, vel ille homicidium commiserit, censendus est in utroque foro, talis dubitans irregularis, c. Ad audientiam. 12. h. t. quia debitam diligentiam hic non adhibuit ad præcavendum homicidium. Si verò sit dubium juris, id est, si dubitatur, utrum pro hoc vel illo casu irregularitas in jure statuta sit, in neutro foro censeri quis debet irregularis, c. Is qui. 18. de sent. excom. in 6. cum irregularitas non incurratur, nisi sit in jure statuta. Et quamvis in alijs etiam irregularitatibus præter irregularitatem homicidij, nec in dubio facti, nec in dubio juris incurratur irregularitas, cum in dubio delicti, favorabiliores rei partes semper sint ad absolvendum, quam ad condemnandum, & in materia odiosa ultra casus jure expressos non sit extensio facienda (& hinc non debet inferri, quod etiam irregularitas incurratur in dubio factæ mutilationis) speciale tamen hoc à jure habet in dubio facti homicidij irregularitas, ubi tutior pars ad multa scandala & inconvenientia cavenda, observanda videtur.

Ccc cc z

§. III.